



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

L. Vt haec regula in omnibus teneatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

credulos, qui semper Virginis Filio minitantur, de terra delere. De leone enim hoc legimus, *quia ipse circuit, quaerens quem deuoret; & manus eius contra omnes, omniumque manus contra eum.*

1. Petr. 5.
Gen. 16.

ANNO
CHRISTI
1127.

XLIX.

De omni re super vos quaesita iudicium audite.

Nouimus quidem persecutores sanctae ecclesiae innumerabiles esse, & hos, qui contentionem non amant, incessanter crudeliusque inquietare festinant. In hoc igitur Concilii sententia serena consideratione pendeat, ut si aliquis in partibus orientalis regionis, aut in quocumque alio loco, super vos rem aliquam quaesierit, vobis per fideles & veri amatores iudices audire iudicium praecipimus, & quod iustum fuerit indeclinabiliter vobis facere praecipimus.

L.

Vt haec regula in omnibus teneatur.

Haec eadem regula in omnibus rebus vobis immerito ablatis perenniter iubemus ut teneatur.

LI.

Quod licet omnibus militibus professis terram & homines habere.

Diuina, ut credimus, prouidentia a vobis in sanctis locis sumpsit exordium hoc genus nouum religionis, ut videlicet religioni militiam admisceretur, & sic religio per militiam armata procedat, hostem sine culpa feriat. Iure igitur iudicamus, cum milites templi dicamini, vos ipsos, ob insigne meritum & speciale probitatis, domum, terram & homines habere, & agricolas possidere, & iuste eos regere: & institutum debitum vobis specialiter debetur impendi.

LII.

Vt de male habentibus cura peruigil habeatur.

Male habentibus fratribus supra omnia adhibenda est cura peruigil, ut quasi Christo eis seruiatur, ut illud euangelicum, *Infirmus fui, & visitastis me*, memoriter teneatur: hi etenim diligenter ac patienter portandi sunt, quia de talibus superna retributio indubitanter acquiritur.

Math. 25.